

nissimè recepisti me peregrinantem, refocillasti lassum, & pe-  
nè defunctum ad vitam reuocasti, & tandem inuictissimo  
Regi, regijs fauoribus cumulandū, me exhibuisti. Inueni quid  
quid de pietate Gallorum historici narrant, & Poeta canunt,  
& spes Christianæ reipublica præsumit expectatq;. Vno &  
tutus à miseris & securus à calumnijs. Gratias Deo &  
Clementissimo Regi ac Ministris heroicis, nempe fratribus  
nobilissimis Noallijs. Haud equidē audeo Antistitis piissimi,  
Doctissimi compositos mores ac Præstantiam enarrare, quam  
& Roma & Gallia admirantur, & quos euulgauit libros de  
Imperio iusti & de Triumpho virtutis, eruditione ac sapientia  
plenus, vbique ipsum longè magis, quam musarum posset  
Chorus, prædicant. Generosi Comitibus & iam dicere laudes  
vereor, cum nec stylus sit par, ac perse in historiis commenden-  
tur; à superioribus enim seculis præfulsere. Neque enim re-  
cens est gloria vestra, sed ab exordio Regni Francorū splende-  
bat. Ast ab anno millesimo post Christum natum certa serie  
post Guitrandum, qui primus cognominatus est de Noailles,  
vsque ad nostra tempora innumeri de vestra prosapia con-  
numerantur heroes, quorum alij cum Domi in Aquitania  
præcipuè, tum foris in Asia vnà cum Ludouico Rege sancto,  
pugnando contra Saracenos fortiter, obierunt; & in Ita-  
lia, in Anglia, Polonia, Thracia, totumque adeo ferè Or-  
bem terrarum honorificentissimis legationibus peruagati, ea in  
locis illis pro patria perfecere sua; eamque Regibus Gallis na-  
uauerunt operã fidelem sedulamque, vt semper meruerint &  
laudari à bonis, & ab ipsis Regibus multis decorari honoribus.  
Inter quos eminet magnus ille tuus Antonius quatuor Regi-  
bus ob facinora illustria carissimus: Cuius cor Burdegala ob